

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Vicium f
cum fonte primo

Sunt quedam uicia quasi per
quandam cognationem sibi propinqua,
sicut dissolutio spiritus, appetitus gulae
et immundicia

luxurie, multiloquium, fallacia
atque periurium. Ex
dissolucione spiritus mens ad
ingluuiem uentris rapitur, et dum cibis
uenter extenditur, ad luxuriam caro
trahitur.

Ex multiloquio fallacia generatur
quia difficile est ut qui multa
loquitur non eciam menciatur, et sepe
mendacium eciam periurio tegitur ut
ante humana iudicia ueletur.

Gregorius super Ezechielem omelia XII.

Nam sunt quaedam uitia quasi per
quamdam sibi cognationem propinqua,
sicut dissolutio spiritus, appetitus gulae
et immundicia

luxuriae, sicut multiloquium, fallacia
atque periurium. Ex

dissolucione quippe spiritus mens ad
ingluuiem uentris rapitur, et dum cibis
uenter extenditur, ad luxuriam caro

trahitur superbiendo captiua. Et rursum

ex multiloquio fallacia generatur,
quia ualde difficile est ut qui multa
loquitur non etiam mentiatur, et saepe
mendacium etiam periurio tegitur, ut
ante humana iudicia ueletur.

Gregorius Magnus, *Homeliae in
Hiezechielem prophetam*, 1, 12, 27
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.199,
ll.519-527).